DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

SISTENS

VTILITATEM VENÆSECTIONIS IN MORBIS ACVTIS PARTVRIENTIVM ET PVERPERARVM,

QVAM,

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRIDICÆ FACVLTATIS ASSESSORE ET COD. PROFESS. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITATIS SYNDICO ET CONSVLE,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN HAC PER-ANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. LAVR. THEOPH. LVTHER,

MEDIC. DOCT. CHYMIÆ PROFESS. PVBL. FACVLTAT. MED. ASSESS. ORDIN. ET CIVITAT. ERFORD. CONSVL. SENIOR. AC PHYSICI,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORALI

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,

AVTOR ET RESPONDENS,

CHRISTIAN FERDINAND STREMEL,

Lauba-Lusatus.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXVIII. MARTII M DCC XXXIII.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

PATRIBVS
REIPVBLICÆ ZITTAVIENSIS,
VIRIS
MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQVE CONSVLTISSIMIS DOMINIS,

DOMINIS

CONSVLIBVS, SYNDICO, SCABINIS,

CÆTERISQVE MEMBRIS

SENATORII ORDINIS

GRAVISSIMIS,

PATRONIS SVIS ET PROMOTORIBVS

OMNI HONORIS CVLTV DEVENERANDIS,

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM,

CERTISSIMVM ANIMI DEVOTI SIGNVM,

SVBMISSE

D. D. D.

RESPONDENS.



PROŒMIVM.



Venæsectionem magnum esse remedium, primo demonstravit PODALIRIUS, hujus evacuationis inventor, cum in filia regis Damæthi, cujus vita propter lapsum graviorem valde periclitabatur, eam summo cum fructu in utroque bracchio institueret, ita ut paulo post, in magnum solatium patris, pristinam sanitatem illa recuperaverit; vid. STEPHANUS BYZANTINUS in Voce Syrma. Hujus usum quoque perspexit HIPPOCRATES, quippe qui in Scriptis suis passim memoriæ prodidit, sanguinis evacuationem certo tempore maximè esse utilem; vid. *Sect. I. aph. 23.* Hæc ve-

veſtigia GALENUS premit, multisque rationibus & experimentis contra Eraſiſtratæos illam eximiè defendit. Sed Veterum teſtimoniis hodie non opus eſt, præprimis quia jam ubique Medicina mechanica Excellentiſſ. HOFFMANNI florere incipit, ac inſuper ſecundum Dogmata BOERHAVII & aliorum hæc evacuatio in multis morbis commendatur & feliciſſimè praxi confirmatur: Hinc argumentis tantorum Virorum convictus & experientia ſæpius edoctus ſum, quod quoque V. S. ſummo cum fructu non ſolum in jam parturientibus, verum etiam poſt laborioſum partum, itidem locum habeat, eaque propter, cum mihi ad altiora jam adſpiranti ante omnia incumbat, ut Specimen inaugurale quoddam disquiſitioni publicæ ſiſtam, placuit in præſentiarum, pro modulo ingenii viriumque imbecillitate, Venæſectionis ſummam utilitatem in morbis parturientium & Puerperarum acutis demonſtrare. Faxit ergò Deus T. O. M. ut omnia in gloriam Ejus & ægrotantium ſolatium, ſecundum Vota, cedant!

I. N. J.

§. I.

FOemina benè conſtituta & optimâ valetudine gaudens hìc ante omnia in conſiderationem venit, quoniam ea utplurimum tam ante, quam poſt partum, V. Sne quam maximè opus habet: Sub initium enim ingravidationis Embryo tenellus tantam vix conſumere valet ſanguinis copiam, quanta ordinariè ad ejus nutritionem verſus Uterum defertur & affluit; hinc illa mox poſt primum menſem, in locis conſuetis, ubi ſanguis aliàs menſtruis periodis evacuatur, quosdam dolores perſentiſcit, ita ut quædam arietatio in iſtis vaſis oboriatur, quæ tamen non ſufficit ad elaſticitatem horum vaſorum ſuperandam & ſanguinem per illa loca expellendum. Altero menſe dein elapſo, gravida de majori dolore lancinante circa easdem regiones conqueritur, multisque aliis ſymptomatibus affligitur, ut nauſeâ, horripilatione, dolore ventriculi, anxietate præcordiorum, dolore capitis, dorſi & aliarum partium, unde etiam poſt tertium menſem in fœminis cæteroquin ſanis multoties abortus ſequitur. Hæc omnia à ſanguinis ſuperflui per locum aliàs conſuetum impeditâ evacuatione, ac utero intra abdomen ex pelvi aſcendente, ſitum viſcerum preſſione ſuâ & circuitum humorum per illa parum mutante, dependent.

§. II.

His ſymptomatibus modo recenſitis, ſecundum leges methodi medendi, conſenſu ferè omnium Practicorum

corum noſtris temporibus celeberrimorum, Venæſectione in brachio inſtitutâ, certiſſimè ſuccurritur: Hæc enim quantitatem ſanguinis ſuperfluam imminuit, inconſuetas congeſtiones ab eo factas reſolvit, corpus debilitatum & torpidum agilius reddit, quia liberior humorum diſtributio per vaſa & viſcera promovetur, ubi inſimul quoque proſunt aromatica blanda, & antiſpasmodica temperata, quæ cum Diæta tenui ritè adhibita, omnia reliqua accidentia, periculum futurum præſagientia, auferunt. In parturientibus verò & fœminis fœtum jamjam enixis, V. Snem in uſum vocare, plurimi Practicorum adhuc dubitant; licet experientia docuerit, in his caſibus Venæſectionem neglectam ſæpius prœmaturæ mortis cauſam extitiſſe. Quanquam autem multi reperiantur Medici, qui pertinaces & meticuloſi eam admittere haud volunt, etiamſi ratio & experientia contrarium demonſtrent, nihilo tamen minus neceſſitas non rarò exigit, ut audacter in parturientibus & Puerperis largâ manu V. S. inſtituatur, quo non ſolum majora mala & ipſa mors præcaveantur, ſed etiam ſanitas labefactata citò reſtituatur, prout hoc ex ſequentibus evidenter apparebit.

§. III.

Per partum autem difficilem talem conditionem corporis & fœtus intelligimus, à quâ excluſio infantis maturi ſummâ cum moleſtiâ, partiumque genitalium & circumjacentium qualicunque læſione abſolvitur. Inter cauſas naturales, quæ partûs maturi excluſionem impediunt, primariò temperies ſucculenta eſt referenda, ut in Sanguineo-phlegmaticis, quæ ſemper bono &

co-

copioso sanguine abundant, observamus, in his enim vasa sunt exigua ac sanguine turgida, omnesque cellulæ & interstitia humoribus & oleosis liquidis repleta, hinc sæpe earum obesitas Uterum & Vaginam premit, & liberum fœtui transitum intercludit, simulque accedente pressione fœtûs versus genitalia, sensim sensimque hæ partes magis intumescunt & ita distenduntur, ut inde necessario via angustior & ad transitum fœtûs ineptior reddatur, licet aliàs hæc temperies corporis in junioribus parturientibus maximè conveniens sit, quia corpus molle facilè pressioni fœtus cedit, & simul sufficientes humores, ad viam lubricandam, præbet.

§. IV.

Majorem attentionem meretur temperies sicca, præsertim in annosis & primo nuptis, primiparisque annum trigesimum jam supergressis, in quibus partes sunt nimis rigidæ & strictæ; Os uteri non sufficienter aperitur, sed validè resistit, quia vasculis gaudent paucioribus, quæ humores tenues ad lubricandam viam sufficienter non exprimunt; partes etiam vicinæ, præsertim osseæ, circa juncturas jam nimis induratæ, dilatationem difficulter admittunt, unde exclusionem fœtus retardant; liberaliorem autem sanguinis transitum infantis pressio impedit, ita ut mox vasa circa inguina jacentia ab humoribus impulsis magis magisque distendantur. Si ergò his artis auxiliis non succurramus, semper partus difficilis, imo vitæ periculum, metuenda & præsagienda sunt, sicuti quotidiana experientia in siccis & jam adultioribus fœminis nos docet. Hinc talibus per aliquot septimanas ante legitimum partûs tem-

tempus commendanda sunt Fomenta, aut Unguenta emollientia, quibus partes genitales & regiones inguinales frequenter fovendæ atque inungendæ sunt, ut tempestivè aliqualis ipsarum obtineatur relaxatio.

§. V.

Sæpe quoque in fœminis aliàs ad parturiendum bene constitutis & cæteris conditionibus se ritè habentibus, præsertim in Primiparis, partus difficilior, laboriosior & periculosior redditur, dum conatus fœtûs prodeuntis ex pudore supprimunt atque impediunt, aut ex instinctu naturali dolores increscentes timent atque abhorrent. Multæ quoque reperiuntur, quæ dolorum adeo impatientes sunt, ut sub eorundem augmento convulsionibus corripiantur, vel animi deliquia experiantur, licet jam fœtus sitûm legitimum ad exclusionem nactus sit, etiam per aliquod tempus contractiones naturales abdominalium musculorum ipsiusque Uteri hanc exclusionem promovere inceperint, unde dein vasa per uterum ejusque vaginam excurrentia fortiter pressa, turgidiora fiunt, ab his autem partibus tumefactis & sanguine repletis certissimè via, alias satis patula, angustior evadit, ut diuturno tempore, majori labore & multiplicatis cruciatibus, tandem fœtus excludatur.

§. VI.

Aër calidus & siccus, quemadmodum liquida interna rarefacit, vasa replet & distendit, ac simul externè liquidissima absorbet, nec non vasa in superficiebus jacentia exsiccat, ut partes humido necessario ad emolliendum destituantur. Sic quoque à laboribus partu-

rien-

rientis partes humectantes citò dissipantur, insimulque majori labore via dilatatur, ita ut ad partum legitimum & maturum excludendum longum tempus requiratur. Propterea constitutio aëris nimis calida & sicca, ab arte emendationem in humidum exspectare debet. Ordinariè enim aër calidus & humidus parturientibus optimè conducit, dum vasa ab eo relaxantur, & calore temperato in mollitie servantur, ut illa conatibus fœtus laborantis & pressionibus matris minus resistant, sicque exclusio brevi temporis spatio absolvatur.

§. VII.

Aër siccus & simul frigidus minime parturientibus conducit, quia totum corpus constringit, eò magis autem si simul temperies corporis sicca concurrit, ut in Cholericis & Melancholicis fœminis apparet, nam in tali statu liquida humectantia ac lubricantia hic summè necessaria jam deficiunt, & ab aëre adhuc sicco magis consumuntur, frigus autem externum liquida tenaciora & solida magis constricta reddit, unde partus laboriosus facile inducitur, sed arte medica, remediis in principio adhibitis emollientibus & calidis tales plerumque levamen accipiunt.

§. VIII.

Corpus à cibis nimis repletum exitum fœtus pariter difficiliorem reddit, nam ventriculus & intestina distenta Uterum & fœtum in eo inclusum majori mole premunt, adeò ut ille præ onere & pressione se vix ac ne vix quidem movere & flectere valeat ad situm convenientem acquirendum. Præprimis etiam infarctus crassorum intestinorum partum difficilem producit,

fæces enim induratæ inteſtina diſtendentes magnam pelvis partem occupant, & infantis tranſitum impediunt; aſt hoc indicans facili negotio remedio leniente & Clysmate tollitur, nam poſt quadrantis horæ ſpatium decoctum injectum cum ſcybalis induratis, leniſſimè & certiſſimè expellitur.

§. IX.

Interdum quoque gravidæ corpus parum movent, vel vitæ ſedentariæ ſunt nimis deditæ, vel otioſè quieſcentes jacendo tempus terunt, vel ſomno immoderato indulgent; quibus efficitur, ut parum ſanguis attenuetur & diſtribuatur, è contra verò in his fœminis, vitam tranquillam gerentibus, humores immodice augeantur, imprimis quando ſimul alimenta evpepta nimium appetunt & frequenter ingerunt, ex his certe magna quantitas chyli præparatur, quæ non ſolum deperdita liquida cibo reſtituit, ſed & majorem humorum copiam generat, hinc corpus aggravat, partum difficiliorem reddit, & poſt partum abſolutum aut hæmorrhagiæ largiores, aut, lochiorum fluxu non rite ſuccedente, inflammationes graves uteri, mammarum, cerebri, thoracis & viſcerum abdominalium, imò febres exanthematicæ multoties periculoſæ excitantur.

§. X.

Huc quoque pertinet præternaturalis tumor partium genitalium, quando nempe inflammatio à ſanguine heterogeneo & impuro in iſtas partes ruente producitur, viam anguſtiorem pro fœtu excludendo facit, imo ſæpe cavitatem penitus claudit, dolores & cruciatus vehementes efficit, qui excluſionem fœtus non

per-

permittunt, nam inflammatio fortiter à fœtu compressa, in gangrænam & sphacelum abit, quia illo tempore impetus sanguinis urget, hinc tumor, dolor & rubor continuo augentur; unde à vasorum distentione nimia destructio partium metuenda est. Eâdem ratione in Utero ipso aut partibus vicinis à continua fœtûs immobilis pressione circulatio in multis vasculis impeditur ac sensim sensimque sistitur, sanguis ibi hærens à novo affluente omni momento pellitur & comprimitur, liquidiora quidem, ut aquosa, per minimas aperturas transsudant, crassiora vero, ut particulæ rubræ sanguinis, magis impinguntur. Hinc tales fœminæ â repletione canalium sanguiferorum, serosorum & lymphaticorum violentâ, distractiones validas & acutas percipiunt, motus sanguinis & febris increscunt, in partes obstructas actio sanguinis arteriosi fit impetuosior, sequitur obstructio gravior & pertinacior, qui vix ac ne vix quidem resolutionem admittit, sed multo magis vasculorum destructio subitò subsecutura prædicenda erit. Sic res se habet in reliquis inflammationibus tempore partûs se manifestantibus, quando nimirum regionem colli, thoracis aut abdominis occupant, tunc omnino exclusionem fœtus valde dolorificam reddunt, imo inflammationes in istis partibus, ab aucta corporis commotione, qui eo tempore maxime requiritur ad fœtum expellendum, exasperantur, ut citò in summum inflammationis gradum abeant & gangrænescant. Hinc omnes causæ, quæ in parturientibus acutissimis doloribus corpora infestant, semper in salutem parturientium solicitè & omni studio erunt removendæ;

earum enim constantia tam exclusionem fœtus impedit, quam graves & periculosos eventus prænunciat.

§. XI.

Fœtus jam mortuus omnium maximè laboriosum partum inducit, quia ille immobilis jacet, situm convenientem non acquirit, nec ullo conatu exlusionem adjuvat, sed firmiter in quiete manet, atque ut corpus sine motu & vitâ tantum premit, hinc partum magis impedit & retardat, unde certè tales fœminæ miserrime crucianrur, ut sæpe ab immoderatis earum pressionibus versus inguina, vasa pulmonalia rumpantur, & ita Hæmoptysis producatur, dum validis strictionibus musculorum abdominalium & retentione aëris diuturnâ fœtum urgent, sed lentissime propellunt. Interdum ob molem fœtus magnam & resistentiam partium genitalium nimiam, à valida distractione, perinæum disrumpitur, aut labia pudendorum â se invicem secedunt; multoties quoque peritonæum, propter magnum nisum, læditur, unde sæpe herniosæ fiunt fœminæ.

§. XII.

Sed fœtus ipse adhuc vivens sæpe quoque occasionem partus difficilis præbet, dum aut ex errore proprio cum capite in latus versus os ischii, vel anterius in os pubis, vel posterius in os sacrum, fortiter impingit, eâdem ratione uterus gravidarum situm naturalem ex recto in obliquum mutat, dum sc. in gravida supra os pubis ascendit intra abdominis cavitatem, ubi ratione ponderis sui, secundum diversos matris motus, nec non à compressione intestinorum, fundus ejusdem situm muta-

mutare poteſt in latus dextrum aut ſiniſtrum; Pariter quoque partus redditur difficilis ex feſtinatione obſtetricum nimiâ, dum parturientes præmature, levioribus adhuc doloribus ſe manifeſtantibus, adhortantur, ut partum valido nixu promovere ſtudeant, cum tamen fœtus ſitum debitum, ad ultimam ſui excluſionem aptum, non acquiſiverit, aut obſtetrices nimis citò tunicas fœtum includentes dilacerent, ut aquæ effluant, licet de ſitu legitimo adhuc incertæ ſint, ubi his evacuatis infans ſe ritè movere non valet, quia inteſtina & muſculi abdominis jam vehementius in fœtum premunt, cum antea aquæ circa infantem fluentes fortiorem preſſionem impediebant, & ſic infans in aqua magis liberè ſe movere & convenientem ſitum eligere valebat. Hinc ſtatim omnis labor eò dirigendus eſt, ut fœtus in viam naturalem deducatur ac dirigatur, de quo potiſſimum conſulendus eſt, van DEVENTER in arte obſtetricandi.

§. XIII.

Effectus, qui à partu difficili producuntur, ex conſideratione hujus laborioſæ actionis, præſertim ſi quædam cauſæ vel naturales, vel præternaturales, vel nonnaturales, in præcedentibus deſcriptæ, concurrunt, facile à peritis Anatomicis & Practicis dijudicantur: Nam fœtus maturus & ſanus ad exitum tendens, ſe in ergaſtulo ſuo, nimis anguſto licet, quaquaverſum movet, ſi non turbatur, donec ſentiat partes externas ſibi cedere, tunc in illas impetuosè premitur, & perpetuo conatu ac motu muſculi abdominales in conſenſum trahuntur, qui ſimul expulſionem urgent, & ſic, ſi omnia

ritè ſe habent, partus facili negotio in lucem prodibit; Contra verò, ubi omnia naturæ male diſpoſitæ, vel erranti relinquuntur, utique Partus admodum difficilis erit: 1) urgentibus enim conatibus naturæ, non ſolum omnes impulſus matris ſunt ſupervacanei, ſed etiam totum corpus illius enormiter defatigatur & viribus privatur, dum propter continuos parturientis labores ſanguinis motus excitatur & magis acceleratur, qui interdum ope remediorum Cardiacorum & ſtimulantium mirum in modum augetur, ut per ſudorem humores tenuiores continuo expellantur, ſanguis vero diluente liquido deſtituatur, exinde reliqua ſanguinis maſſa fit denſior & ad inflammationem aptior. 2) Hinc poſt diuturnam & laborioſam fœtus excluſionem adeſt jam ſanguis inflammatus & corruptus, qui prudentiſſimè ſtatim ab adſtantibus Conſilio Medici tenuibus blandis & antacidis, ut juſculis carnium recentibus cum herbis & radicibus aperientibus decoctis, corrigendus eſt. Certè hic à vulgo magni errores committuntur, præſertim quia non niſi cardiaca calida hic adhibenda eſſe autumat, quo vires deperditæ citò reſtituerentur; ex eâdem ratione imprudenter ſuadent adſtantes vinum malvaticum, Hungaricum, Canarienſe &c. aut puerperis Eſſ. aromaticas, analepticas, Salia volatilia oleoſa propinant. 3) Partes circa genitalia jacentes & pudenda ipſa eo tempore, dum fœtus exitum intendit, à mole infantis ſæpe eximiè premuntur & diſtenduntur, multo magis autem diſtractio & valida dilaceratio iſtarum partium ſuccedit, quando magnitudo fœtus inconveniens, ſitus irregularis, parturiens

riens annoſa, primipara, fœtus mortuus, vel aliæ circumſtantiæ partum impedientes ſimul adſunt, ex quibus certiſſimè à fœtus expulſione magna partium genitalium læſio præſagienda erit. 4) Ab adhibitis autem prædictis remediis calefacientibus motus febrilis neceſſario augetur, inflammatio ſanguinis vehementior redditur, ita ut facile ſanguis circa fundum Uteri ſtagnet, vaſculaque minima ibidem dilacerata & conſtricta obſtruat, unde cum ſanguis verſus illa naturaliter perpetuo impellatur, utique ſenſim ibi ſtaſis & inflammatio produci poteſt. 5) Poſt aliquot dies Uterus paulatim ſe iterum conſtringit, adeoque tunc non tantum ſanguinis, ut antea, admittit. Vaſa enim à ſubſtantia Uteri compreſſa & anguſtiora facta, impulſui magis reſiſtunt, & ſanguis nunc majori impulſu vel impetu urgetur verſus arterias hypogaſtricas, liberè jacentes, quæ ſanguinem poſtea verſus mammas vehunt, quia hæ ſunt corpora mollia, ſupra muſculos jacentia, quæ â vicinis partibus non premuntur & parum reſiſtunt, ſicque impetum circulationis naturaliter facilè admittunt atque intumeſcunt; verùm in principio ſtricta mammarum vaſa aliquali reſiſtentiâ prædita, non ſtatim impulſui humorum cedunt, ſed gradatim dilatantur, exinde tertio plerumque die poſt partum ab impetu verſus easdem aucto, puerpera horrorem & motum febrilem ſentit. 6) Hæc febris certè à copia ſanguinis & diatheſi inflammatoria maximopere augetur, tumores mammarum magnos inflammatos & in ſuppurationem tendentes, excitat, aut circumſpectâ curatione, exſiccantibus nempè & diſcutientibus materiâ flui-

fluidissima dissipatur, terrestres & fixiores particulæ in interstitiis obstructis glandularum remanent, dolor quidem & inflammatio cessant, sed tumor durus & frigidus, ad naturam scirrhi proximè accedens, relinquitur, qui, si præprimis per externa male tractatur, successu temporis facillime in Cancrum degenerare solet. 7) Præterea quoque à tali dispositione inflammatoria communiter gravior orgasmus humorum per totum corpus excitatur, sub quo deinde partes heterogeneæ vel à nimio parturientis labore generatæ, vel per stimulantia & calefacientia acria magis exagitatæ, intra vasa secretoria propelluntur, & tandem sub variorum exanthematum forma per superficiem externam corporis eliminantur.

§. XIV.

Hinc ante omnia puerperis circumspecta & temperata Diæta atque medendi methodus præscribenda est, ipsæque considerandæ ut personæ graviter vulneratæ, ob quam causam illis præcipue talia exhibenda erunt, quæ humores tenues & blandos à prægressis laboribus consumptos, restituunt. Prosunt itaque mollia, concoctionis facilis, quæ jam in se partes nutritias magis resolutas continent, ut sunt juscula carnium recentium, decocta cum gelatinosis blandis, ut hordeo, tritico, amygdalis, Oryza & similibus, aut radices Petroselini, Apii, Cichorei, Scorzoneræ, Asparagi &c. cum jusculis recentibus concoquuntur, conjunctis remediis antispasmodicis, cum levissimis aromaticis, præcipuè in fœminis non admodum plethoricis & cholericis, nec

dolo-

doloribus enormibus afflictis, ſub quorum prudenti uſu, illæ brevi tempore ad ſtatum naturalem redeunt.

§. XV.

Proinde etiam cauſæ partum difficilem provocantes ſupra recenſitæ bene examinandæ & conſideratè à Medicis ſagacioribus perpendendæ ſunt: Primò omnium perpendenda erit temperies ſanguinea, humoribus laudabilibus prædita, juxta *§. II.* nec minus corpus craſſum, humoribus lentis & craſſis abundans §. VIII. ut & inflammatio, motus febrilis, doloresque acuti exinde ſuborti, in parturientibus occurrentes, §. IX. Certè in his ſubjectis ſub auctiori motu circulatorio ſanguinis omnes in corpore humores validius agitantur, qui poſteà cum impetu verſus partes obſtructas propelluntur, ſimul liquida à motu & calore aucto rarefiunt, magisque ſe expandunt, vaſa replent & majori impulſu diſtendunt, ut poſtea omnia membra ab humoribus tumefacta appareant, corpus mirum in modum defatigetur & debile evadat, maximè à copia ſanguinis gravante, & vaſcula minima nimium comprimente, hacque ratione oritur malignitas à Medicis Chemicis abuſivè in morbis acutis ſemper accuſata, quæ tamen ſolum dependet à ſanguine copioſè & orgaſticè exagitato, hoc enim in principio ritè & largâ manu ex vena magna evacuato, ut liberior circuitus & humorum æqualis diſtributio cum liquidis dilutis per totum corpus reſtituatur, certo certius maligna ſymptomata ſubito evaneſcunt, prout hoc feliciſſimo ſucceſſu in fœminis jam parturientibus, imo in infantibus acutis morbis laborantibus, cum admiratione adſtantium Præce-

C ptor

ptor meus Clarissimus, Dn. D. Lœberus, præstitit, cum è contra Chemici cum suis panaceis & remediis bezoardicis restitutionem sanitatis & remotionem malignitatis haud promittere valeant. Nam tales fœminæ sine evacuatione sanguinis sibi relictæ & optimis bezoardicis tractatæ, semper gradatim in statum deteriorem ruunt, quia hæc remedia virtute stimulante prædita sunt, qua motus sanguinis per canales multiplicantur, ejusque partes subtiles, scil. lympha & spiritus, attritu continuo & vehementi per vasa minima exhalantia, dissipantur, humores crassiores in massa sanguinea relicti comprimuntur, condensantur, ac magis inflammantur & corrumpuntur, ut in locis obstructis & vasculis secretoriis tenaciter hæreant, in parte autem læsa inflammationem valide augeant, cum destructione vasorum, & corruptione humorum mox subsecutura. Imo sæpe omnia viscera inflammantur, & in superficie partium maculæ rubræ & purpureæ, cum summa debilitate & prostratione virium, proveniunt, quæ communiter imminentem mortem indicant. Sic etiam immatura exclusio fœtus non solum à febribus producitur, sed etiam à calore febrili prædominante ejus suffocatio metuenda, aut post partum peractum sanguinis eruptio, quæ ægram facile in vitæ discrimen conjicit, exspectanda erit.

§. XVI.

Rebus sic stantibus viribusque adhuc vigentibus, nec liquidis jam corruptis, in fœminis mox parturientibus nullus Medicorum, virtutes circulantis sanguinis

exa-

examinans, & leges mechanicas ritè callens, secundum quas effectus futuros dijudicant, V. Sectionem hic timebit, sed bono animo & consilio principiis solidis fundato eam audacter instituet, ut pericula mala secutura praecaveat tristemque eventum arceat. Nullum enim praestantius & efficacius, Venaesectione, remedium habemus, non solum quantitas nimia sanguinis, vasa circa genitalia maximopere infarciens ac distendens, imminuitur, liberiorque humorum circulus promovetur, sed etiam omnis resistentia partium & vasorum tollitur ac viae laxantur, simulque tonus musculorum abdominalium augetur, laxatis verò genitalium partibus partus facile succedit, aliàs enim inflammatione praesente ac continuante, & viis non ritè dilatatis, foetus difficillimè excluditur: Hinc optime monet Hollerius, ut tota natura concurrat, deindeque foetum expellat. Certe hic & in omni inflammatione discutiendâ sanguinis missione non peccatur, si autem illa vel ex metu, vel ex negligentia omittatur, tunc eventus admodum anceps erit. Optimè igitur scribit HIPPOCRAT. *Lib. I. de morb. mulier.* quod si praegnans diutius immoretur & parere non possit, sed pluribus diebus partus doloribus crucietur, (sit autem juvenis & aetate florens, multoque sanguine redundet,) Venas in malleolis secare oporteat, & virium habita ratione sanguinem detrahere. Nam gravissimi morbi & periculosiores eventus praevidentur, juxta §. IX. XIII. num. I. & XV. Sic vehementia morbi omnino sanguinis evacuationem omni tempore postulat, quae, si pro multitudinis ratio-

 ne

ne non celebratur, utique pejorem & periculosiorem reddet morbum. Propterea etiam recte scribit HIPPOCRATES *Sect. V. Aph. 30. Si mulier gravida acuto morbo corripiatur, lethale; & in alio loco dixit similiter: Si mulier utero gerens Peripnevmonia, Pleuritide, Phrenitide & ardente febre corripiatur,* aut Erysipelas in utero fiat, necessitatem habet, ut ab ipsis perimatur. Hoc effatum HIPPOCRATIS rarissimè fallet, si nempe gravida sibi relinquitur, sed tempestivè ipsi succurrendum est cum V. Sne, quippe quâ ZACVTVS LVSITANVS multas gravidas robustas, aut morbis acutis detentas, inprimis largiori & iterata, â magnis malis liberatas fuisse scribit. *vid. ejusd. Histor. Med. Princ. Lib. I. obs. 30.* ubi mirabilem Historiam refert, de fœmina juvene biliosa & gracili, quæ, cum septimi mensis fœtum in utero gereret, ob metum absentis mariti abortum procurare intendit, variisque adhibitis remediis V. Snem quoque in usum vocavit, & per intervalla tredecim sanguinem è saphæna emisit, sed nunquam voti sui compos evadere potuit, quin potius, his omnibus frustra tentatis, geminas nono mense obesas & ovantes edidit in lucem, *conf. Lib. I. Med. princip. hist. observ. XXV. & Lib. II. praxeos admirandæ observ. 144.* Idem ZACVTVS *l. c. obs. 145.* refert, se in gravidâ Angina oppressa, septies in die V. Snem usque ad euphoriam adhibuisse, & fœminam feliciter ab hoc morte liberasse; Eadem ratione in gravida, Causo correpta, sanguinis missionem largam in usum vocavit, undè fœmina benè convaluit, *Lib. c. observ. 146.* Hinc in *Cap. de regimine prægnantis* rectè

pro-

pronunciavit, V. Snem in gravida valde necessariam esse, dicens: Sanguine non extracto, pro plenitudinis & morbi ratione, morbus insolescit & fœtum vel matrem interimit. *Lib. III. prax. admir. cap. XV.* Ex hujus Viri celeberrimi experientia apparet, V. Snem in omni graviditatis tempore convenire, nec ullam noxam parere, maximè autem illa indicatur, quando gravida ab acuto morbo & doloribus intolerabilibus circa partus tempus infestatur: Sic in ultimis mensibus felicissimè Phlebotomiam adhibuit PETRUS BORELLUS in fœmina Synocha simplici, sed violentissima cruciata, cui secundo die morbi vena secta fuit, tertio rursus ex eodem brachio dextro, & sub vesperam ex sinistro pro tertia vice; dein jusculis refocillata, quarto die fœtum maturum emisit, ac postea sensim plenariè iterum convaluit, *vid. Cent. 4. obs. 24.* Mirum in modum etiam laudat BINNINGERUS V. Snis utilitatem in parturientibus, refert enim casum partus difficilis, in quo apertio saphænæ præsentaneum fuit remedium, *Cent. 4. obs. 9.* sed mortuorum testimoniis hodie non opus est, quoniam moderni Medici non solum in gravidis febricitantibus, sed etiam in jam parturientibus optimo cum successu sanguinis evacuationem instituunt.

§. XVII.

In Casu §. IV. descripto, peccante nempe corporis siccitate, magnam utilitatem V. S. præstabit, dum illa vasa laxat, ut humores in ipsis contenti se expandere atque in tenuiores resolvi queant; sic quoque in Primiparis, deficiente adhuc debita partium relaxatione, juxta §. V. evacuatio saguinis magnum levamen, se-

cundum §. XV. & XVI. affert, nec minus in ſtatu §. XII. recenſito, interdum ſanguinis evacuatio erit neceſſaria, ut circumſtantiæ inflammationem æmulantes Medico perito indicabunt. ZACUTUS LUSITANUS feliciſſimo eventu experimentum inſtituit, in juvene benè alias conſtituta & ſucculenta, quæ præſervatoriam ſanguinis detractionem omiſit: Hæc ob plethoram fœtum mortuum nonimeſtrem expellere non poterat, plurima per duas dies ſunt tentata præſidia, cum autem fœtus per nimis anguſtas vias penetrare non poſſet, ê ſaphæna ſanguinem emiſit; hoc auxilio applicato fœtus ad imum ventrem magis vergere videbatur, & illa â præcordiorum dolore, quo antea nimium premebatur, liberabatur, *vid. Lib. II. praxeos admirand. obſ. 164.* Veſperi ZACUTUS ad illam redit, & de his omnibus certior factus, ex altera ſaphæna ſanguinem detraxit, poſtquam ante diluculum partum excluſit. Magna ergo eſt non ſolum ad vivum, ſed ad mortuum quoque fœtum excludendum, Phlebotomiæ utilitas in actuali niſu, hac enim methodo ſuperveniens inflammatio tutiſſimè avertitur, & viæ laxiores redduntur. Ultimo commendo Conſilium Dni FRANCISCI CALMETTE *Lib. III. de morbis mulierum Cap. XVII.* in partu difficili datum, dicentis: V. S. quoque in pluribus caſibus celebranda, præſertim dum mulier debilis non eſt, ubi non rarò partum facilitat.

§. XVIII.

Secundum hæc tradita circumſpectus & expertus Medicus facile de reliquis circumſtantiis Venæſectionem indicantibus judicabit. Præterea in omnibus

puer-

puerperis interne summi usus sunt Decocta aperientia & diæta tenuissima, nullo modo sanguinem movens, §. XIII. n. 2. & §. XIV. ut & anodyna vespertino tempore cum absorbentibus & antihystericis propinata. Externe in parturientibus prosunt medicamenti in forma Fomenti, Clysteris, unguenti & linimenti §. VI. VII. & VIII. His mature & convenienti tempore adhibitis, non solum fœtus bello modo prodibit, sed etiam multa mala §. VIII, IX, X, XII. recensita præcaventur.

§. XIX.

Sed post partum difficilem peractum affectus producti & adhuc durantes sæpissime evacuationem sanguinis requirunt, si nempe fœmina multis in locis est vulnerata §. XIII. n. 3. 4. 5. & tamen insimul constitutione bona, §. II. descripta, gaudet, aut si fluxus lochiorum minus succedit: Hinc illam jam HIPPOCRATES commendavit *in libr. I. de morbis mulier.* dicens: *Interdum vero purgamenta minime exeunt, verum id mulieri exitium portendit, nisi quis celeriter venam incidat, aut alvum emolliat.* Morbi enim à suppressione lochiorum periculosi & lethales superveniunt, fiunt nempe inflammatio Uteri, febres simplices & exanthematicæ, difficiles respirationes, Anginæ, Pleuritides, Apoplexiæ, Maniæ, phrenitides & alia mala, quæ sibi relicta certe puerperam in vitæ discrimen inducere possunt. Hinc PETRUS SALIUS DIVERSUS *de affectibus particularibus c. 23. de morbis puerp.* optime monuit, dicens: *Tamen cum à partu statim & per primos illos dies copiose naturaliter expurgentur mulieres, nulla alia tentanda est sanguinis evacuatio, quam quæ à natura recte & naturaliter operante, dirigi-*

rigitur; quæ tamen si supprimatur, vel imminuatur, tum ad tollendum morbum & affectum præternaturalem, tum ad provocandam naturalem evacuationem, secentur venæ inferiores & copiose mittatur sanguis, quoniam copiosa etiam esse debet, ex præscripto naturæ, mensium tunc temporis purgatio. Si itaque natura vegeta & sanguine plena copiose sanguinem fundere nequit, seu illa evacuatio naturæ necessaria & proficua plane supprimitur, tunc Venæsectionem maximopere MERCATUS commendat, *libr. IV. de morbis mul. cap. X.* dicens: *Quodsi sanguinis abundantiam suppressioni causam præstare certum sit, nullo alio auxilio tutius & certius malo medeberis, quam copioso sanguine per venas tali effuso; tunc enim natura potentior reddita, supra residuum id facilius per consuetum sibi locum expellit.* Confer. RODERICUS â CASTRO *de morbis mul. lib. 4. C. XII.* Hanc sententiam defendit CASP. BRAVO *in resolutionib. Tom. II. P. VI. Consultat. III. §. 4.* ubi inquit: *Si verò ex lochiorum refluxu in superiores partes superveniant puerperarum morbi, semper ex pede sanguis est mittendus.* Dimminuto dein lochiorum fluxu sanguis naturali motu ad mammas adscendit, §. XIII. n. 5. quando vero tunc fœtus jam est mortuus, vel puerpera ipsa eundem lactare sibi non proposuit, utique etiam imminet periculum, ob adauctam plenitudinem & sanguinis orgasmum, ex dimminuta purgatione obortum, eaque propter MERCATUS & BRAVO suadent ex talo sanguinem mittere, ad motum illorum humorum revellendum. ZACUTUS mirabilem puerperæ historiam *L. I. Prax. admir. Obs. 145.* refert, his verbis: Fœmina robusta â lochiorum supressione in syncopen cardiacam

lapsa

lapſa eſt palpitatione & anxietate præcedentibus; tandem cadaveris inſtar ad pedes lecti jacebat, communi conſenſu adſtantium medicorum ex talo 4. horarum ſpatio bis ſanguis exhauriebatur, femoribus cucurbitulæ admovebantur. Quibus non ſufficientibus urgente neceſſitate, ut ſanguis impactus ê parte propinquiori evacuaretur, baſilicam ſiniſtram feriendam ZACVTVS imperavit, & veſperi cucurbitulas ſcarificatas, coſtis affigere juſſit omnibusque his uno die celebratis ſimul adplicatis glandibus oculos aperuit, & à morte liberata fuit. Sic FRIDERICVS HOFFMANNVS *in Diſſ. clinic. de Inflammationibus.* V. Snem in lochiis ſupreſſis ad præcavendas febres exanthematicas valdopere commendat.

§. XX.

Proinde etiam licet purgatio naturalis lárgiter fluxerit, puerperæ tamen ſæpe acutis morbis corripiuntur. Hinc FERNELIVS *Libr. II. method. medend. c. VIII.* aperte dixit: *Atque etiam in puerperis quæ rite purgantur ob febris ardorem ſanguis è cubito demendus.* Certe ſingularem & admirandam hiſtoriam refert FRANCISCVS VALLERIOLA, *Libr. V. obſerv. medic. obſ. X.* de fœmina pharmacopœi primipara, quæ poſt felicem partum frigori imprudenter ſe exponit, altero autem poſt partum die, pleuritite acutiſſima corripiebatur cum febri intenſiſſima, tuſſi valida & ſpirandi difficultate tanta, ut præfocari ſibi videretur, neque enim, niſi ſumma cum anguſtia, ſpiritum trahere poterat, lateris dolore premente adeo, ut in præfocationis periculum ægram induxerit. Sanguis mittitur contra ſuorum omnium

vota (quod â partu fatigata & ſat ſanguinis per purgationes muliebres effluxiſſet,) & alia oportuna auxilia adhibentur integre & magna omnium admiratione curatur. Sic quoque AMATVS LVSITANVS *Centur. I. Obſerv. 34.* refert de puerpera quæ ſeptimo die febre premebatur poſt clyſteris uſum Saphenam aperuit & ad ℥vij. ſanguinis emiſit, altera die iterum cephalicam ſecavit & ſanguinem ad ℥v. detraxit, ſine ullo periculo. Item de alia puerpera XXV. annorum puerum feliciter enixa & incaute aëri fligido ſe exponente refert, quod ſeptimo die febre continua cum dolore laterali & delirio correpta, & eodem die ipſi ex ſaphena ſanguis miſſus fuerit, â quâ etiam evacuatione magnum levamen ſenſit & convaluit PETRVS SALIVS DIVERSVS in pleuritite & aliis inflammationibus ob vehementiam morbi licet puerpera ſatis purgata ſit, primo evacuationem in pedibus inſtituit, & ſi illa non ſufficit ſtatim ad ſectionem venarum ſuperiorum deveniendum eſſe, vehementer inculcat. NICOLAVS FONTANVS Practicus Amſtelodamenſis *in Conſultat. exempl. X.* Caſum puerperæ apoplecticæ habet, quæ ſectione venæ cephalicæ ſanata eſt.

§. XXI.

Ex his præmiſſis rationibus §. XVI. & XVII. & experimentis tot practicorum celeberrimorum probatis, §. XIIX. XIX. & XX. tutiſſime concludimus in caſibus parturientium & Puerperarum deſcriptarum ſi circuitus humorum & dolores invaleſcant, ſummopere evacuationem ſanguinis eſſe neceſſariam; quod aſſertum coroni-

ronidis loco cum assensu celeberrimi Practici FRIDERIC. HOFFMANNI probabo, qui variis dissertationibus miris laudibus V. Snem in febribus exanthematicis puerperarum, extollit, dicens: *Interim sancte affirmare possumus, quod solius V. Snis, pro circumstantiarum ratione largioris vel in pede vel in manu institutæ ope, proximas jam morti puerperas & spasticis stricturis, quibus sanguis impetuose ad cor, & cerebrum urgebatur, detentas ab orci faucibus revocaverimus, & præsentem opem attulerimus.* vid. Disp. *de purpuræ genuina origine indole & curatione §. 57. 1725. hab.* Hæc verba verissima auro pretiosiora omnibus prudentibus practicis valdopere commendo.

§. XXII.

Sed dolendum est quod multi Medici hoc remedium, tam ratione quam experientia probatissimum, in tempore necessitatis in usum vocare haud velint multasque tam nobilissimas, pariter ac virtutibus egregiis præditas foeminas â morte liberare vix audeant, sed imperite & minus circumspecte illud in omnibus inflammationibus & febribus puerperarum, in detrimentum ægrotantium negligant, timeant & abhorreant: Cum tamen puerperæ vegetæ & aliàs sanæ febre tantum acuta aut simplici inflammatione laborantes secundum præcepta medicorum Mechanicorum tuto ac facile sanari queant; nam quæ morbo acuto pereunt â vehementia morbi in destructionem partium vergentis interimuntur; sed ars hanc vehementiam, mitigare valet V. Sne ritè institutâ & sufficientibus temperantibus & diluentibus adhibitis, adeòque com-

complures puerperæ aut ex negligentia propria, aut adſtantium & Medici incuria, febre extinguuntur. Tutius ergo erit omnem diligentiam adhibere ut veritas in ſolamen conſcientiæ noſtræ eluceſcat, & optimâ viâ in morbis debellandis ad ſalutem ægrotantium incedamus. Interim Deo T. O. M. pro conceſſis hactenus viribus gratias perſolvo humilimas, Ipſumque devotiſſimè imploro, ut impoſterum quoque in honorem & gloriam Sanctiſſimi Nominis ſui & ægrotantium levamen laboribus & conatibus meis benedicere velit.

S. D. G.

